n 12

Hoc est translatum fideliter sumptum Gerunde die vicesima quarta mensis julii anno a nativitate domini millesimo trecentesimo nonagesimo sexto a quodam publico
instrumento tenoris sequentis. Sit omnibus notum. Quod ego Geralda de Blanes sacristana Monasterii Sancti Danielis Gerunde tenens administracionem in dicto Monasterio
stabilitam per dominam Sanciam de Torrente quondam abbatissam ex certa sciencia confiteor et recognosco vobis Petro Busart parrochie de Celrano presenti quod venistis
mecum ad bonum iustum et legale compotum ex omnibus et singulis redditibus censibus tascis decimis et aliis iuribus per vos nomine meo congregatis
et que ad manus vestras pervenerunt usque ad primam diem junii proxime preteritam. Et facto dicto iusto et legali compoto et ipso semel et pluries exami-
nato recognosco vobis quod quicquid ad manus vestras pervenit et nomine meo recepistis et congregastis usque ad dictam primam diem junii tam in parrochia
de Celrano quam alibi totum illud integriter michi aut ubi volui integriter tradidistis taliter quod penes vos nil de bonis meis remansit. Quare promitto vobis
bona fide ac firma stipulatione quod nunquam occasione premissorum per me vel meos vobis vel vestris fiet movebitur seu intentabitur questio petitio aliqua vel
demanda in iudicio vel extra immo de predictis omnibus et singulis facio vobis et bonis vestris bonis finem et pactum de ulterius non petendo ac etiam de ulterius non
agendo imponendo inde michi et meis super predictis silentium sempiternum. Promittens vobis et vestris predictam diffinitionem et absolutionem et omnia
et singula supradicta contenta bona rata grata et firma habere et non contrafacere venire vel revocare iure aliquo sive causa. Renuncians sciens super hiis omni
privilegio religionis et mei ordinis et omni alteri iuri obvianti. Hec tamen facio salvo iure meo et dominarum monialium dicti Monasterii Sancti Da-
nielis in foriscapio sive laudismo michi et ipsis dominabus competenti in nupcialibus instrumentis inter vos et dominam uxorem vestram confectis
racione pro racione ipsius domine uxoris vestre. Actum est hoc Gerunde duodecima die mensis julii anno a nativitate domini millesimo trecentesimo quinqua-
gesimo tercio. Signum mei Geralde de Blanes sacristane predicte que hec firmo et laudo. Testes huius rei sunt Raymundus de Vena clericus Gerunde et
Bernardus Marialli ebdomedarius de Cornellia procurator dicti Monasterii Sancti Danielis Gerunde. Signum Raymundi de Pariete alias notarii publici
substitutus auctoritate regia a Bernardo de Soriano publico Gerunde notario qui hec scribi feci et clausi cum raso in vi. linea ubi dicitur intrare.

Signum Guillermi de Pont notarii publici substituti auctoritate regia
Jasperto de Campolongo publico civitatis bajulie et vicarie
Gerunde principalis notarii hic me pro teste subscribo.

Signum Bonanati Natalis notarii publici substituti auctoritate regia a Jasperto de Campolongo
publico civitatis vicarie et bajulie Gerunde et principatus eiusdem notario pro teste
hic me subscribo.

Signum Marchi Simonis notarii publici substituti auctoritate regia a Jasperto de Campolongo publico civitatis bajulie et
vicarie Gerunde principalis notario qui hoc translatum a suo originali sumptum et cum eodem verbo ad verbum
fideliter comprobatum scribi feci et clausi et constat michi de supraposito in ix. linea ubi dicitur bonis.

Sacristia.
Cebrà.
Mas Bufart.

N.º 8 del plec prime de actes de sacristia de S.t Daniel.

en poder de Ramon de Pertore nott.s de Gerona
als 12 juliol 1353.

Sacristana de S.t Daniel

T. 252 x 367

Definició y compres fa la Sra Sacristana de S.t Daniel a Pere Bufart de la Parroquia de Cebrà de tots los reddits, censos tasques, forisaques fossen ell recullits en nom de dita Sra. — se salvà lo lluisme degut per la entrada de mas de la muller de dit Bufart.

al 12 juliol 1353.

Traslat 24-7-1396

1083

3.º 845